



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quando, & quomodo procedere possit ac debeat Iudex à quo sive sit ordinarius, sive delegatus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. I.

Quando, & quomodo procedere possit ac debeat Iudex à quo sive sit ordinarius, sive delegatus?

Regulariter quidem Iudex à quo debet deferre cuiuslibet appellationi, & gesta coram se intra 30. dies cum Apostolis ad Iudicem appellationis transmittere (propter reverentiam scilicet superioris puniendus vi utriusque juris, si interposita ex iusta causa appellationi non detulerit) nisi de jure prohibita sit appellatio, aut in rescripto remota: quod si tamen per fraudem aut malitiam interposita fuisset appellatio, non debet illi deferre, aut illam admittere Iudex à quo, sed potest in causa procedere, c. Suggestum 15. h. t. Neque enim quod à jure concessum est ad innocentiam vel jus suum detorquendum est; si vero super interlocutoria sententia seu questione incidente appellatum fuerit, à cujus cognitione causae principalis decisio dependet, non potest Iudex à quo super causa principali prius pronuntiare, quam questio interlocutoria in iudicio appellationis decisa fuerit, ut habetur in c. Super eo 10. h. t. ad cavendum scilicet praedictum: speciale illud est de jure Canonico, quod ille, qui residere tenetur in suo beneficio, & tamen huic suae obligationi non satisfacit, si ab Episcopo ad residentiam faciendam monitus ad Pontificem appellet, possit per Episcopum cogi ad residendum, vel ut intra
Ecc 2 certum

SECTIO VII.

De officio utriusque Iudicis, à quo, & ad quem appellatur.

certum tempus præfixum ab Episcopo, ad Curiam Romanam appellationis prosequendæ causâ accedat, uti habetur in *c. Peruenit. 28. h. t.* ita ut Episcopus præbendâ eum privare possit, nisi alterutrum fecerit, si nullam justam causam habeat, eum de facili tantum appellatione in tali casu sit præsumptio.

§. II.

Quod sit officium Iudicis ad quem, & quomodo procedere possit ac debeat?

Iudex, ad quem appellatum fuit, debet appellationem ad se delatam admittere, de ejus justitia cognoscere, & si viderit, illam legitimè interpositam, debet pronuntiare, appellationem esse justam, sive malè judicatum, bene appellatum esse. Si verò viderit, illam esse illegitimè factam, debet illam pronuntiare injustam, sive bene judicatum, malè appellatum esse. Et quamvis per se vel per alium non suspectum de causa & justitia appellationis cognoscere possit, non potest tamen causam appellationis examinandam ad Iudicem, à quo est appellatum, remittere (nisi pars, quæ appellavit, consentiat. *c. Accepta. 35. h. t.* quia præsumptio est, & periculum, ne iterum gravet) etiam casu quo Iudex, à quo fuit appellatum, in locum Iudicis, ad quem fuit appellatum, modò autem defuncti aut depositi successit, (ob rationem etiam in hoc casu urgentem) sed debet in tali casu appellatione examinanda alteri personæ non suspectæ delegari, quæ vel remitter appellantem ad Iudicem à quo, si advertat malè appellatum, & in expensas temerarium hunc appellantem condemnabit (nisi Iu-

dex à quo appellationi detulerit. *c. De appellationibus 5. h. t. in 6.*) vel si bene appellatum advertat, priorem sententiam à Iudice à quo malè latam cassabit, et pro parte reformabit, & sic de causa principali pronuntiabit, modò de iuris causæ per probationes competentes ei constet, etiam si in hac secunda appellationis instantia lis coram Iudice appellationis contestata non fuerit, vel conventa in hac secunda instantia facta contumaciter absens. *c. Per tuos 38. h. t.* cum litis contestatio in prima instantia facta nec per appellationem tollatur, nec extendere etiam se possit ad causam appellationis. Vide plura de his apud Auctor. Method.

§. III.

Cui incumbat, seu imponi debeat Iudice onus probandi in causa appellationis?

Ad initium processus appellationis appellatus coram Iudice ad quem appellatus probare debet tria; appellasse se Iudicem, & quidem legitimo tempore à sententia vel gravamine illato; & Secundo appellasse se ex causa rationabili, tali scilicet quæ si probata fuerit, iusta declaratio appellatio; & Tertio denique debet appellans producere appellationem, ipsam sententiam v. g. à qua appellatio fit. Procurator autem, si per hunc appellatum prosecutionem prosequatur appellans, debet insuper probare mandatum, & curatorem derato. His probatis procedi v. g. iuris rarius, & quælibet pars excipiens tum ad probationem probare debet, ac tum ad probationem causæ principalis, qui eadem probationem debuit in prima instantia directè Iudice